



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 31. Epistola Cyrilly Archiepiscopi Alexandrini circa controversa  
Arminianorum capita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

## §. XXXI.

Sæc. XVII.  
A. C. 1613.*Epistola Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini circa controversa Arminianorum capita.*

Novatores omni tempore in votis plurimum habebant, ut novæ suæ Ecclesiæ auctoritatem ex antiquitate Ecclesiæ Græcæ conciliarent, eamque errorum suorum sociam efficerent: ita anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Lutherani ad Jeremiam Constantinopolitanum Patriarcham suam Confessionem Augustanam transmiserunt, spe freti, eam velut Græcæ Ecclesiæ doctrinis consonam ab eo approbatum iri: Verum spe sua turpiter delusi, ab hoc Patriarcha strenue impugnati fuere: optatori successu Arminiani novæ suæ factionis Suffragatorem nacti sunt in Cyrillo Lucare tum Patriarcha Alexandrino, quem Joannes Uytenbogartus Arminianæ sectæ Principibus circa fidei & rituum necnon ordinis & Regiminis Ecclesiastici ratione consuluerat: Hic ergo, qui se Papam & Patriarcham Alexandriæ nominabat, ex Valachia die vigesima secunda Septembris hoc anno sequentem epistolam ad eundem perscripserat: Petiit Humanitas tua, ut scribatur, quæ

Q 3

fit

Sæc. XVII. sit fidei nostræ professio; De essentia  
A. C. 1613. Verbi nulla est inter nos controversia,  
 idem enim sentimus, una vobiscum A-  
 rianos explodimus, Samosatenosque,  
 & reliquas hæreticorum Larvas essen-  
 tiam oppugnantium, negantiumque,  
 Filium, & Spiritum Sanctum unius e-  
 jusdemque cum Deo Patre consubstan-  
 tialitatis.

De Personarum distinctione nullam  
 esse aliam differentiam inter nos, com-  
 pertum est, nisi quod in modo existen-  
 tiæ personæ Spiritus Sancti ab utroque  
 dicitis procedere, quod Ecclesia Græ-  
 ca non ita dicit. Jacobus Arminius,  
 quem ego pluris facio, in libro dispu-  
 tationum, quas nuper ad me Domina-  
 tio tua misit, in publicis thesibus  
 disputat de Spiritu Sancto, & præter  
 alia ad Spiritus Sancti personam perti-  
 nentia, profitetur, se probare velle,  
 Spiritum Sanctum ab utroque proce-  
 dere, quod non perficit. Cum ea,  
 quæ dicit, omnia sine dubio intelligen-  
 tur secundum assertionem Græcæ Ec-  
 clesiæ; ipsa enim Spiritum Sanctum a  
 Filio essentialiter & interne, & quoad  
 esse, procedere negat. Quia veretur,  
 ne dicendo a Filio, ut a Patre, duo  
 asserat in divinis principia existentiae  
 Spiritus Sancti, quod esset impium:  
 maxime cum sciat, istam additionem  
 primum

primum Romanam Ecclesiam, inno-  
 vationum amatricem, in Symbolo ex-  
 cogitasse: quam inaniter conantur, ex-  
 positionem, non additionem esse, osten-  
 dere controversistæ. Qualemcunque  
 vero exprobant Græci, fallam esse ma-  
 leque factam: hoc quidem, quia in  
 Ephesino Concilio, quod fuit tertium,  
 in quo Cyrillus præerat Alexandrinus,  
 decretum est, nemini licere proferre,  
 aut scribere, aut addere, præter ea,  
 quæ definita sunt a Patribus in Nicæno  
 Concilio. Nec ideo debebant Romani  
 in Symbolo addere. *Filioque*, illud ve-  
 ro, quia non ita se habere veritatem ob  
 multas rationes constat, &c. Hinc fit,  
 quod diræ Græcis obnuntientur, Schis-  
 matici habeantur, imo impii, quia Ro-  
 mano Episcopo, qui (ut ajunt) errare  
 non potest, adversentur. Cum autem  
 Græci insistent atque probent, non esse,  
 neque se velle cognoscere in Romana  
 Ecclesia plus authoritatis, neque per  
 divinas, neque per humanas leges,  
 quam in propriis Patriarchis; ideoque  
 ut iis, sic Romano esse facile, posse  
 labi, insurgit ei turba Jesuitarum, in-  
 ter quos Aristarchus quidam, Sande-  
 ras nomine, in suo Chronologio, qui  
 profuse plures recenset (si diis placet)  
 errores Græcorum; at omnes in unum  
 tendunt: nil enim omnes essent, si tan-  
 tum

Sæc. XVII.  
 A. C. 1613.

Sæc. XVII. tum Papæ Romano crederent, eumque  
A. C. 1613. Superiorem vellent, atque profiteren-  
 tur in Terris Christi Vicarium: quia  
 vero hoc negant facturi, excommuni-  
 cantur, & condemnantur. Et si Jesui-  
 tis, vel mendaci crederemus Sanderò,  
 miseri essent Græci: cum ii, qui dispu-  
 tant, graviterque defendunt, homines  
 de propria Salute non esse certos, Græ-  
 cos jam condemnatos velint. Neque  
 amplius spes, illos salvari posse, nisi  
 Romam proficiscantur, nisi inde ple-  
 nariam obtineant indulgentiam. At  
 non prætendunt Græci, istos corrupto-  
 res audire, sed stant in iis, quæ cre-  
 dunt esse primitivæ Ecclesiæ dogmata.

In articulo de Verbi incarnatione  
 Ecclesia Orientis Græca minus differt  
 a vobis. Verbum enim Dei incarna-  
 tum credit, a Beata semper Virgine  
 Maria *non vi seminis, sed vi Spiritus San-  
 cti verbum esse conceptum, atque in eo hu-  
 manam consistere naturam, id est, carnem  
 animatam eum assumpsisse, cum anima nem-  
 pe rationali, & intelligenti, prodiisse ex  
 ipsa Matre Semper-Virgine Deum incar-  
 natum, non hominem Deiserum, in dua-  
 bus perfectis naturis, & operationibus, u-  
 num eundemque secundum hypostasin, to-  
 tum Deum, & totum hominem eundem:  
 neque Deum secundum corpus, neque se-  
 cundum Deitatem hominem.*

Cir-

Circa Sacramenta de iis quædam Sæc. XVII.  
A. C. 1613.  
maxime notanda ducimus, quæ prin-  
cipalia sunt, de Baptismo & Euchari-  
stia: quorum usum ita necessarium ar-  
bitramur, ut sine eo neminem de fide  
posse esse certum credamus, quia ut  
ipsa sine fide, sic fides sine ipsis efficax  
esse nequit: in Baptismo Ecclesia Græ-  
ca servat aliquas ceremonias, ut sunt  
abrenuntiatio Satanæ, susceptorum in-  
fantis fidei professio, nominis impositio,  
trinamersio, aliaque pauci momenti,  
sed omnes piis orationibus comitatæ,  
de quibus sine utilitate longum esset  
differere &c.

In Sacramento Eucharistiæ istas ma-  
xime servari tenet Ceremonias: cum  
enim ob duo hoc tantum mysterium  
traditum esse nobis constet, in com-  
memorationem mortis Domini, & in  
Corporis & Sanguinis sumptionem: ob  
mortem commemorandam Ecclesia no-  
stra ante panis fermentati consecratio-  
nem solet illa verba recitare, *ut ovis  
ad macerationem ductus est, & ut agnus in-  
sons coram suo tonsore.* Deinde, *& qui-  
dam ex militibus Lancea latus ejus fodit,  
& statim exivit Sanguis & aqua.* Et vix  
ista finiuntur, & statim in calice vinum  
& aqua infunditur &c.

Effet hic inferendum *de partibus San-  
ctorum*, quæ partes novem minimæ par-  
ticulæ

Sæc. XVII. ticulæ sunt panis, & Decima Sanctæ  
 A. C. 1613. Mariæ, Matris Domini, quas post a-  
 quæ & vini in calice infusionem, ab  
 uno pane oblato sumptas, penes Eu-  
 charistiæ panem ponimus; ad signifi-  
 candum, jam beatam esse sortem San-  
 ctorum, qui ut membra capiti Christo  
 conjuncti, una in cælesti Gloria trium-  
 phant. Sed non multum interest, si  
 Orientis ista pia peculiarisque Ceremo-  
 nia, ad essentiam Sacramenti parum  
 vel nihil pertinens, late non extendat-  
 ur, cum de illa aliis constare necesse  
 non sit. Quamvis enim Romani ordi-  
 nationes humanas ita ad salutem ne-  
 cessarias prædicent, ac profiteantur,  
 ut nisi ad minimum punctum quis ob-  
 servet, apud illos salvari nequeat: Nos  
 tamen, quoad me, econtra divinas, cer-  
 tas infallibiles credimus; humanas in-  
 differentes, ut fallereque potentes sus-  
 cipimus, atque tenemus, judicioque  
 Scripturæ & Evangelii & Spiritus Sancti  
 examini subjicimus; quod si bonæ &  
 utiles, amplectendas esse ducimus; sin-  
 aliter, respuendas, & rejiciendas, &c.  
 Expedita ceremonia partium orationes  
 aliquot recitandas aggredimur, & fini-  
 tis narrative verbis, quæ vel de Coena  
 Domini dici, vel ipsum Dominum re-  
 tulisse memorant Evangelistæ; *cum ac-  
 cepisset panem & benedixisset, fregit eum  
 dedit.*

deditque discipulis, & ait, accipite, comedite, hoc est Corpus meum. Et cum accepisset poculum, & egisset gratias, dedit eis dicens: bibite ex eo omnes, hic est enim Sanguis meus novi foederis, qui pro multis effunditur. Statim Spiritum Sanctum invocantes dicimus: & facito quidem hunc panem pretiosum Corpus Christi tui, hoc quod in poculo est, pretiosum Sanguinem Christi tui. Quorum verborum D. Chrysostomus in libro, qui apud nos dicitur *Ministerium publicum*, & ante ipsum D. Basilius, ordinator est. Post hæc *frangimus panem*, & communicamus utramque speciem: & si quis laicus, id est, eorum aliquis, cui non est datum hoc Sacramentum administrare, communicare voluerit, & ipsi utramque speciem fumendam proponimus, &c. Et hic finem habent de Sacramento Eucharistiæ Ceremoniæ nostræ, &c.

Quod attinet ad Ecclesiasticum regimen nostrum, de quo ei placet intelligere, Monarchicum non est; mixtum est, & temperatum. Monarcha est unusquisque in sua Ecclesia particulari; imo nec ibi Monarcha erit, nisi Tyrannus esse velit. At si Monarcha, ubi contumacia captus fuerit, subdit se iudicio Aristocratiae Episcoporum. Quod maxime amplectimur: comprobatur enim

Sæc. XVII.

A. C. 1613.

Sæc. XVII. enim habemus talem ordinem fuisse a  
A. C. 1613. Deo institutum in Israelitarum Eccle-  
 sia, /cujus quidem princeps Moyses:  
 Aristocratia tamen ordinabatur. Iste  
 mihi videtur proprie modus regendi Ec-  
 clesias; quod si nos hoc tempore in ali-  
 quo deficimus, causa est infidelium ty-  
 rannis, ad quam multoties confugit ho-  
 minum perversitas, confunditque ordi-  
 nem Ecclesiasticum nostrum; quod non  
 semel hisce temporibus oculi viderunt  
 nostri, &c.

Græca Ecclesia in plures nationes  
 dividitur, omnes tamen in fide Christi  
 constantes sunt, Græcæ Ecclesiæ suo-  
 que ritui obtemperantes. Neque in il-  
 lis præter Ceremonias aliquas, pro re-  
 gionum consuetudine, innovationem  
 in re fidei observabis: accidit aliquan-  
 do, ob ruditiem atque imperitiam, ali-  
 cui nationi superstitio, cui sine fidei de-  
 trimento indulgemus, quia occurrere  
 non possumus, ob multas variasque  
 difficultates. In iis autem, quæ ad fi-  
 dei essentiam pertinent, perseverantes  
 sunt, ac permanentes, sicut eis a prin-  
 cipio est traditum, &c.

Istæ Nationes habent quatuor legi-  
 timos Patriarchas, inter quos primum  
 locum tenet Constantinopolitanus, se-  
 cundum Alexandrinus, tertium Antio-  
 chenus, ultimum Hierosolymitanus.

Con-

Constat, ante Imperium Orientis nunquam Archiepiscopum Constantinopolitanum functum titulo Patriarchatus; Sæc. XVII.  
A. C. 1613.  
 semperque Alexandrinum primatem fuisse, ut licet tum ex aliis locis, & argumentis tum ex primo Concilio omnium celeberrimo colligere. At ordo mutatus Constantini Imperatoris opera, qui novam Romam suam expertem aliqujus novi magni Antistitis præsentia non patiebatur. Jure tamen nunquam Constantinopolitanus Patriarcha loci obtinuisset primatum, nisi rogatus Alexandrinus sua sponte cessisset: neque cessisset, nisi privilegiis donatus majoribus, & titulo supra Constantinopolitanum, quibus ad hoc usque tempus Alexandrinus cum totius Orientis fruitur admiratione; quæ si iis, qui ultra fines Orientis sunt, aliquis Sermone exponeret, fabulam diceret, & tamen vera sunt. Hæc autem ad tuam Dominationem, non quia de primatu cum Constantinopolitano contendamus; nam hoc quærere in Ecclesia, est lacerare Ecclesiam; & stoliditas esset, atque ineptia Ecclesiasticis, de primatu loci cum detrimento animarum controversari. Primus & magis beatus est, qui ad exemplum Pauli se conformat, qui minimus in Ecclesia esse profitebatur, sed plus omnium ædificabat. At quoniam  
 veri-

Sæc. XVII. A. C. 1613. veritas ita se habet, hoc scribere non neglexi tibi amico meo; isto ordine primatus loci inter illos servatur, in reliquis pari sunt consortio præditi, eoque modo fraternitas integre conservatur, &c.

Neque enim tibi hoc prætereundum, quod omnes Patriarchæ, præter Constantinopolitanum, ordinem optimum regiminis servent Ecclesiastici; & causa est, quia electio illorum est legitima, statque in iis, quorum nil interest, nisi florentem, bene rectam, & ordinatam aspicere Ecclesiam; quod si quid præterirent, Alexandrinus iudex est vicinus & Cenfor, ad limitandum, & corrigendum ea maxime, quæ ad fidem spectant. Constantinopolitanus vero non ita, quia vis turcica ut plurimum sine præhabita electione, confirmat illum, qui plus dederit, quod vehementer eis exprobrat Alexandrinus. At non valet Turcica competere violentia, quæ sibi quærit juste vel injuste accipere, ideoque magis, a quibus datur, favet; deinde distantia locorum & aliæ difficultates obstant, ut huic absurdo provideri possit, &c. Potentior est Constantinopolitanus propter latus Imperatoris, at omnium infelicior. Antiochenus & Hierosolymitanus, prohi ac humiles Prælati, vix sibi sufficiunt.

Ale-

Alexandrinus malus est, quia sine vi  
 fratrum infandos debellat aliquando co-  
 natus, semperque iis formidolosus, &  
 suspectus est: de sua vero authoritate  
 & æstimatione apud omnes alii dicant.  
 Hinc est, quod, nisi Athanasium con-  
 firmasset, non esset Antiochiæ Patriar-  
 cha; nisi suo voto, & opera electus,  
 Theophanes non esset Hierosolymita-  
 nus; nisi nuper ejecisset Neophytum  
 Constantinopolitanum, non esset Timo-  
 theus: & iste quantum sibi timeat, quia  
 mala via est adeptus Patriarchatum.  
 Illustrissimo Oratori remitto, ut scribat.  
 Quod si vult scire Dominatio vestra, qua-  
 re ejectus sit Neophytus: ob multas  
 suas contumacias. Ille a principio ty-  
 rannide usus gradum istum ascendit,  
 deinde multo plus tyrannico usus est  
 regimine: ut vero adjuutores haberet,  
 suarum voluptatum satellites, aliquos  
 nebulones Romanos in Ecclesia nostra  
 prædicantes introduxit, multos erro-  
 res docentes, & simplicem populum  
 seducentes. Admonitus fuit non semel  
 a me, nec se moderare voluit: hoc est,  
 quod me coegit, omni alio superato la-  
 bore, & privato detrimento spreto,  
 operam dare, ut gradu privaretur, quod  
 perfectum fuit. Ad vacantem locum  
 sibi Timotheus per numeratam Turcis  
 pecuniam occupavit; ob hoc ei parit  
 formi-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1613.

Sæc. XVII. A. C. 1613. formidinem nomen Alexandrini Patriarchæ, & adhuc usque in aliqua commotione Constantinopolis est, &c.

Electio Patriarcharum, prætermisso Constantinopolitano, stat in iis, qui sunt *Optimates Reipublicæ*, qui congregati una cum Clero, post habitas orationes solitas eligunt, quem aptiorem judicarint. Ubi fuerint electi, ut habeant possessum, aliquam summam deponunt Turcis, qui Ministri fuerint illius Provinciæ &c. Alexandrinus solus Turcis non solvit, nunquam cum Turcis rem aliquam gerit Ecclesiasticam, nunquam illos vult consiliarios & Socios. Causa vero est prudentia, & industria Patriarcharum præteritorum, qui, providentes huic negotio, semper animos subditorum unitos conservarunt: a qua unitate bona malaque pendent, quæ major est, per Dei gratiam, nostris temporibus, statque in omnibus pro nobis mirabiliter, neque unquam finit Ecclesiam titubare Alexandrinam, prompte adversis occurrens magis magisque, quando vacans est. Quamvis pro aliis calumniis more Turcico ab infidelitate excogitatis, detrimenta patiatur quotidiana &c.

Ubi electi fuerint Patriarchæ, consecrantur tribus ad minus Metropolitanis, vel Archiepiscopis in consecratione interve-

tervenientibus. Ceremoniæ principales Consecrationis sunt istæ: Stat electus in templi medio, suppositum calcans pannum, in quo aquila picta est, quam ajunt mundanam significare Gloriam, quasi ei abrenuntiet, fidemque alta voce profiteatur, Symbolum recitans, & promittens, se fidelem fore Christo & ovili. Quam ceremoniam solitæ sequuntur orationes, cum invocatione Spiritus Sancti, & manuum impositione, & Episcopatus nominatione: & hic finem habet consecratio. Simili modo & Archiepiscopi, & Episcopi consecrantur. At hoc habent plus Patriarchæ, quod, finita Consecrationis ceremonia, detur eis baculus in manu, cum ampliori commendatione subditarum animarum, & aliquibus caput oleo ungitur, quod dicitur confirmationis, ut Hierosolymitano, & Alexandrino, at non aliis: quare vero? præter consuetudinem non aliam causam animadverto, nisi quam colligo ab iis, quæ tunc recitantur in ipso facto, ut sint videlicet, *uncti Domini*, ad similitudinem eorum, qui in Testamento veteri: at quia indifferens est Ceremonia, non utuntur alii, &c.

Unusquisque Patriarcha suos habet Archiepiscopos & Episcopos; plures habet Constantinopolitanus ceteris, &

*Hist. Eccles. Tom. LV.*

R

post

Sæc. XVII.  
A. C. 1613.

Sæc. XVII. post ipsum Antiochenus. Alexandri-  
 A. C. 1613. nus per suam diæcesim habet suos Chor-  
 episcopos ducentis ab annis: causas  
 vero recensere esset prolixum, quare  
 non habeat Archiepiscopos, & Episcopos?  
 Chorepiscopi vicarii sunt: differunt ab  
 Episcopis, quia isti in proprio Episco-  
 patu ordinare, constituere, & dispo-  
 nere possunt pro libitu: Chorepiscopi  
 sine Superioris facultate non possunt, &c.

Quia vero aliquid scire peroptat de  
 Hæreticis in Oriente, neque de illis,  
 quidquid pro tempore fuerit, notare  
 negligemus. Quatuor adhuc usque  
 sunt Sectæ eorum, quibus Ecclesia no-  
 stra non communicat, Armenica, Co-  
 ptica, Maronitica, & Jacobitica, qua-  
 rum deformis est ritus, plusque brutæ  
 Ceremoniæ: in fidei ratione hæretici;  
 in moribus & aliis circumstantiis Ec-  
 clesiasticis dices, nil eos a belluis dif-  
 ferre: tot tenebris ignorantix offusi,  
 ut vix sciant, an credant, vel quid cre-  
 dant: unaquæque tamen obstinata est  
 in propriis superstitionibus & erroribus.

Armenii, Manichæi Doctrinam se-  
 quuntur, multa credunt de propria Re-  
 ligione: Eorum Ecclesiastici dii tenen-  
 tur in terris, quia leguminibus absti-  
 nent, jejunii tempore Quadragesimalis;  
 sed dii isti, Deus verus est mihi testis,  
 multoties stomachum mihi fecerunt:  
 & qui

Sæc. XVII.  
A. C. 1613.

& qui percipit eorum obscœna & sub-  
morosa ridicula, sine dubio stomacha-  
tur. At forsân tibi non displicebit, si  
mihi particeps fueris in quadam parte;  
accidit enim mihi, quod quondam Ba-  
silio, ut Gregorius refert, cum Arme-  
no Athenis disputanti, quem e latere  
ferit Gregorius & Basilius *Victoriam in  
alteram partem inclinare facit.* Hoc mo-  
do mihi occurrit quidam Armenus, Bar-  
fabas nomine, cum essem Hierosoly-  
mis in Templo Sancti Sepulchri: ibi-  
que nacta opportunitate, quia superci-  
liosus Armenus erat, seque doctiorem  
ceteris suis profitebatur, coram populi  
frequentia, cum minus unquam credi-  
dissem in tam ignorantem hominem in-  
cidere, pro tempore mihi visum fuit,  
tentare, cujus esset Spiritus: tandem  
congregimur: colloquium nostrum in-  
de habuit principium, quod Dominus  
Noster Jesus Christus non *secundum ap-  
parentiam* vel versatus cum hominibus vel  
passus est, quia Armeni non credunt vere  
passum. Sciscitanti vero mihi & urgenti,  
impium esse credere, non realiter pas-  
sum Dominum; quod idem est, ac rea-  
liter operatum salutem nostram negare:  
aliisque rationibus inconcussus, & te-  
stimoniis Evangelii confusus Barsabas  
veritatem quidem fateri erubuit, at  
elegantius sese mihi opponere excogi-  
tavit;

R. 2

Sæc. XVII. tavit; cumque animadvertisset, aliter  
A. C. 1613. se non posse meas rationes annihilare,  
 uno verbo totam quæstionem conclusit,  
 & Controversiam decidit: ego, inquit,  
 scio, Religionem Armenicam Sanctio-  
 rem esse vestra, quia vos jejunio in  
 Quadragesimali fabis reliquisque vesci-  
 mini leguminibus, ex quibus multi  
 vermes multaque lues scaturit; at nos,  
 munditiem Christiano debitam, ser-  
 vantes, ista ut communia diebus ter-  
 minatis jejunii arbitantes, vix tangere  
 audemus, & hoc nobis sufficiat, &c.  
 Nonne tibi stomachum peperit ista nar-  
 rando? at crede, me diu obmutuisse,  
 ambiguum, quid tam crassæ ignoran-  
 tiæ responderi posset, nec oblitus dicti  
 Euripidis, *animus dolore afficietur, lingua  
 vero dolore non tangetur.* Bonis iterum ver-  
 bis optimum disputatorem ad aliud bara-  
 thrum confusionis trahere cogitabam. At  
 unus ex domesticis meis alta voce re-  
 sponderat, merito (dicens) Domine  
 Barsabas Sanctus es, quia Pythagoræ  
 animam gestas; at si migraverit in Ca-  
 melum, camelusque Barsabas esset, ab-  
 stineres amplius fabis? cui sine mora  
 simplex vir quidam, sed festivus sub-  
 junxit; non dicas camelum; si Barfa-  
 bas asinus esset, possetne in hisce regio-  
 nibus vivere sine fabis? In hisce risus  
 circumstantium coerceri nequivit: &  
 itum

istum habuit finem nostrum colloquium. Sæc. XVII.  
 Abierat enim iratus optimus disputa- A. C. 1613.  
 tor, Armenus. Intelligat hinc tua  
 prudentia, quibus fundata rationibus  
 ista colluvies, se credit in fide Catho-  
 lica perseverare: Super istam arenam  
 eorum Religiosi propriam & sequacium  
 salutem ædificant, &c.

Alia Secta est Coptarum, qui do-  
 ctrinam Dioscori & Eutychetis sequun-  
 tur; spurca natio, & barbaras. Coptæ  
 dicuntur, quia se circumcidebant: at  
 modo non se amplius. Ratio, quæ  
 illos ab hoc proposito, ab ipsoque facto  
 semovit, est, non quod (ut dicunt)  
 irritum sit contraque legem, dummo-  
 do & ipse Christus Dominus circumci-  
 sus est; sed quia ceteris Christianis,  
 cum non se circumcidant, daretur oc-  
 casio deridendi illos, &c.

Pestem istam sustineo in mea Ægy-  
 pto, in Magni Cairi civitate, quæ cum  
 antea Archi-Episcopatus esset Patriar-  
 chæ Alexandrini, ego quasi toto tem-  
 pore mei Patriarchatus residentiam  
 meam ibi posui, ob temperiem aeris,  
 multasque alias commoditates: raro  
 me Alexandriam conferens. Ibi ergo  
 Coptæ isti tam multi sunt, ut, si Græci  
 cum illis numerarentur, quomodo de  
 Græcis & Trojanis scribit Homerus,  
 decies Coptæ numerum superarent

R 3

Græ-

Sæc. XVII. Græcorum, & multæ decades egerint  
A. C. 1613. pincerna. Multoties istos præcessores  
 mei Patriarchæ, ille præsertim Mele-  
 tius, ultimus Antecessor meus, vir  
 Doctissimus, & exemplarissimus, ten-  
 tarunt ad viam eos veritatis trahere:  
 at nunquam potuerunt.

Papa Clemens VIII. Romanus, mul-  
 ta fecit, tulitque se componere cum il-  
 lis, & rideret V. D. si sciret, quali usi  
 fuerint Coptæ in hoc negotio stratage-  
 mate, quantumque Papa ab illis de-  
 lusus fuerit; quamvis Baronius, no-  
 vus Historiographus, antequam bene  
 veritatem percepisset, cum forsan pro  
 more Aulæ Romanæ adularetur Cle-  
 menti, istam ei gloriam referre prope-  
 raverit; quasi ob suam industriam, suis  
 adeptam temporibus, voluitque ea de  
 Coptarum in Ecclesia Romana conver-  
 sione scribere in suis chronicis, quæ  
 tempus non multum postea falsa fuisse  
 omnia probavit. Imo Paulus præsens  
 Papa istam ob causam aliquos Coptas  
 ejecit Roma. Habent isti Superiorem,  
 quem lingua vernacula vocant Jabuna,  
 quod interpretatur, Dominus. Iste ve-  
 nit ad me aliquando visitatum in Ægy-  
 ptum: quoties venit, mutus abit pro  
 se, suorum aliquis loquitur, ille vero  
 loquentis verba vel *remissione*, vel inten-  
 tione capitis affirmat, vel negat. Os  
 vero

vero nunquam aperit, quia dicit, non  
 licere multa extra domum suam loqui  
 Jabunam, imo peccatum esse: at ex-  
 treme, præterque modum, legem suam  
 custodit, quia non multa, sed loquitur  
 nihil omnino quidem. Ego loquax, &  
 garrulus sum, qui per me, non per a-  
 lios, loqui debere existimo. Quod au-  
 tem in illo bono Domino mihi magis  
 displicet, hoc est, quia nunquam mihi  
 faciem, nisi oculos solos aperit, totum  
 caput tectum sindone vel fursum, vel  
 deorsum motum faciem nunquam tibi  
 dabit aspicere: sed dices, larvam esse  
 tragicam. Nolo tibi ulterius esse mo-  
 lestus, vir prudentissime! de tam ab-  
 surdis scribens: est apud illos Coptas  
 quidam Casis, Petrus vocatus: Casis  
 interpretatur Presbyter. Ille me sæ-  
 pius adire solet: fatetur, se propriæ Re-  
 ligionis errores cognoscere, & repre-  
 hendit suos: At ego ei parum credo,  
 quia si, quod os profert, conscientia  
 dictasset, non amplius vellet Presby-  
 ter esse coptarum, &c.

Maronitica Secta est Semi-Roma-  
 na: quia multi Maronitæ profecti Ro-  
 mam, literis operam navarunt, inde-  
 que in Montem Libanum, Castellum,  
 in Provincia Phænicia, ubi est eorum  
 residentia principalis, migrarunt: opti-  
 me a Romanis instructi, & modo tota  
 quasi

Sæc. XVII. A. C. 1613. quasi gens illa Romanam sequitur Religionem. Cum maxime eorum primus Episcopus se Papistam profiteatur, & quia Antiocheni Patriarchæ Diæcesis contigua est Maronitis, timeo, ne incipiant & vicinos inficere, præsertim cum a parte Patriarchæ, & a nobis admoniti, conveniens tamen non sit cautio; homo enim Arabs non capax est mali, quod serpit, &c.

Jacobitica est vilissima, & spurcissima natio, neque de illa est, quod aliquid scribatur, nisi quod ob hæresin suam Nestorianam nos latere non debeat, &c. Istæ sunt pestes in Oriente, quas Deus per commune flagellum infidelium moderatur, ne nobis noceant, &c. Hæc omnia magis curiose, quam cum utilitate, scribimus, tibi morem gerendo, maxime cum sciamus, & curiositatem aliquando delectare; quanto fieri potuit brevius, ista notare volumus, &c. Essent alia magis necessaria ad scribendum, pertinentia ad illas materias, quæ hoc tempore a doctis agitantur, atque scribuntur, ut illa sunt, quæ de libero arbitrio, prædestinatione, & justificatione, de quibus quid certe tenendum, nondum constat mundo? Ecclesia nostra semper idem tenuit, una eademque via ista docuit: qui habet somnium, qui habet Sermone-  
nem

nem Dei, loquatur Sermonem Dei: quid Sæc. XVII.  
 paleis ad triticum? debent, quibus hoc A. C. 1613.  
 creditum est, opus facere Evangelistæ,  
 implereque Ministerium cum sobrieta-  
 te, ut non ebrius passionibus, quibus  
 plena sunt Jesuitarum opera, non men-  
 tiri, sed veritatem dicere præsumat.  
 Scribere mihi de hisce aliquid non per-  
 mittit angustum tempus, imo neque  
 esse opus arbitror, quia gravioribus,  
 doctioribusque convenit, sine metu la-  
 borem istum subire. Ut summatim fe-  
 cit Jacobus Arminius, qui meo judi-  
 cio doctus vir fuit; quia vero Theses  
 scribit, in quibus implicite continentur  
 materiæ, opus non cursim, ut ego feci,  
 sed serio legi librum suum oporteret,  
 ut possit de illo dari copiosius iudicium,  
 & non temerarium; quod mihi tunc  
 posset pro libitu charitas vestra impo-  
 nere, si propriis essem in laribus, liber  
 ab hoc molesto itinere. Cito me rever-  
 surum spero, si Deo placuerit: scribat  
 ad me confidenter Dominatio vestra,  
 responsa vero grata vicissim accipiet,  
 meque amicum ei sincerum esse lucu-  
 lentius intelliget, in Christoque fra-  
 trem: præterea in meis literis anim-  
 advertet, quod nunquam aliquid exa-  
 ratur, quod mihi non dictet ratio, &  
 veritas, quibus semper mea submitten-  
 da esse volo. Absit a me, a Conscien-  
 tia,

Sæc. XVII. A.C. 1613.            tia, a moribus, ut veritas vel negligatur, vel non aliis omnibus præponatur: ob veritatem ego, & cum propriis meis fratribus Ecclesiasticis græcis controverfor: hostis sum ignorantæ, & ut populum simplicem esse indoctum, non moleste ferro, cum sciam, & in ignorantia, & rerum imperitia salvari posse homines adversus fidei hostes indies quasi dimicantes: atque non armis, sed patientia certantes, ut undequaque se Christi fideles probent. Ita mihi displicet, Pastores, & Episcopos nostros tenebris ignorantæ obmergi: hoc est, quod nostratribus exprobro, at nil proficio. Nacti istam commoditatem Jesuitæ in Constantinopolim fundamenta jecerunt, ad erudiendos pueros: & proficiunt, quod vulpes inter Gallinas. Obruet tandem Romana doctrina mundum, dum nunc huic negotio tantam operam impendunt Curia Romanæ Satellites, nisi Deus propitius fuerit, cujus dextra sola navem nostram a turpi isto naufragio salvare potest; unaque spes nobis sua est misericordia & potentia; alias vires nostræ tenues essent ut resisterent persecutioni, quam præter alios ii, qui Religionis sunt Græcæ in Polonia, & Lituania, Ruteni, misere admodum sentiunt, probantque, ob vim, quæ eis infertur ab Ecclesiasticis

ficis Romanis, opera Jesuitarum, ut Sæc. XVII.  
 Ecclesiæ se subiciant Romanæ. Quia A. C. 1613.  
 vero hoc se facturos negant, nil inten-  
 tatum relinquunt Jesuitæ, ut voti com-  
 potes fiant; hinc terrores, fugæ, exilia,  
 cædes, multaque alia, quæ solo tem-  
 pore Antichristi futura legimus. Con-  
 fugiunt ad Ecclesiam Græcam miseri,  
 cum jam videant everfas illius regni  
 leges, extinctum fœdus de libertate  
 servanda, ablatam omnem rationem  
 tuendæ pacis publicæ. Velimus Ec-  
 clesiastica authoritate nostrâ ad Regem,  
 ad proceres intercedere, rogare, ut li-  
 beri dimitterentur. Contigit Alexan-  
 drini Patriarchæ patrocinium hoc se  
 suscepisse, nec neglexit scribere ad Re-  
 gem, ad magnates omnes; hortari il-  
 los, quo fieri potuit, protestari pro ju-  
 stitia, pro jure, pro legum reverentia,  
 & tandem rogare, obsecrare. At om-  
 nia vana. Adhuc usque illinc certior  
 factus sum, pejus ingravescere perse-  
 cutionem, & violentiam, quo plus &  
 Moscoviam occupare desperant. Quæ  
 certe in Polonia incepta multis aliis  
 subminari videntur dominiis; & quid  
 mirum, si & ipsam Constantinopolim  
 aggredi ausi sint? Audio, vos cavere  
 vobismetipsis, ne hoc fermentum de-  
 trimentum aliquod populis vestris in-  
 ferat; & valde mihi placuit. Idem,  
 prout

**Sæc. XVII.** prout poterimus, nos quoque omni  
**A. C. 1613.** tempore faciemus, & tum magis, si  
vestro spiritali consilio adjuti fuerimus,  
vestra charitate profecuti, qua vos vi-  
cissim a nostra justum erit: ut uno spi-  
ritu, fidem Christi orthodoxam ample-  
ctentes, utrique pergamus ad supernæ  
vocationis adimplenda mandata, fide-  
liter certantes, & semper veritatem de-  
fensantes, in Ecclesiæ Catholicæ in-  
crementum, in Gloriam quoque Sem-  
piternam Dei Patris, & Filii unigeniti,  
& Spiritus Sancti sui, cujus benedictio,  
& gratia tecum, mi dilectissime, sem-  
per sit, faveatque his votis atque labo-  
ribus, quotquot sustines, pro exercen-  
dis pietatis officiis, in utilitatem spiri-  
tus eorum, qui tuis mellifluis fruun-  
tur Sermonibus. Ne autem amplius  
tædio tibi simus, finem literis imponi-  
mus, dextramque dextræ jungimus,  
fraternoque affectu te salutamus. Li-  
bros mihi missos ab Illustrissimis Ordi-  
nibus, ubi primum rediero, Deo dante,  
videbo, & duplici gustu legam, quia  
mihi ab ipsis Dominis missi sunt, qui-  
bus quidem per literas meas quamplu-  
rimas egi gratias, quod si Dominatio  
vestra oretenus adhuc plures adderet,  
gratam rem mihi præstaret. Pro libro  
vero Arminii me tibi debere fateor;  
rependere tamen curabo ad propria re-  
vertens

vertens, aliquo manuscripto, & si quid Sæc. XVII.  
A. C. 1613.  
aliud mihi est, omnia communia tuæ  
charitati erunt.

Optarem, quod mihi  
faceret luculentum catalogum aucto-  
rum electorum recentiorum (exceptis  
iis, quos Illustrissimi Ordines ad me  
mifere) qui graviter atque docte scri-  
pserunt in utramque Scripturam, ma-  
xime in libros Mosis, in majores Pro-  
phetas, in Evangelia, Paulique Epi-  
stolas; quibusque vos ad plus utimini,  
& alios authores, qui scripserint tum in  
Theologia, tum in Philosophia, & a-  
liis in artibus, in Mathematicis, illum-  
que proxima occasione ad me mitteret,  
& mihi adderet nomina Doctorum, qui  
apud vos sunt famosi & nominati, vi-  
cissimque nobis imponeret, quidquid  
ei ab istis partibus cordi posset esse, sem-  
per prompte gratificabimur tuæ huma-  
nitati, quam optime valere cupimus.,

Haud tamen mirum est, quod hic  
Patriarcha tam prone ad Arminianorum  
placita descenderit; absoluto enim stu-  
diorum curriculo in Germaniam profe-  
ctus Calvinistis sese aggregabat, eorum-  
que errores in Græciam secum ferebat,  
quamvis venenum suum occultare sa-  
tageret. Demum Archimandrita Ale-  
xandrinus a Meletio Patriarcha electus  
in Poloniam decernebatur, unionem,  
quam quidam Lithuanix Episcopi cum  
Eccle-

Sæc. XVII. A. C. 1613. Ecclesia Romana meditabantur, ever-  
 furus. Inde vero in Græciam rever-  
 sus, ac vivente adhuc Meletio in Pa-  
 triarcham Alexandrinum renuntiatus  
 anno Domini millesimo sexcentesimo,  
 duodecimo in Valachiam & Moldaviam  
 contendit, ubi suis declamationibus, di-  
 ris & execrationibus in Ecclesiam Ro-  
 manam sese celebrem reddidit, arctam-  
 que cum Protestantibus amicitiam co-  
 luit. Postquam vero anno Christi mil-  
 lesimo sexcentesimo vigesimo primo Pa-  
 triarchalem sedem Constantinopoli in-  
 vaserat, mox clam Calvinii hæresin tra-  
 didit, obstrepentibus Episcopis Græcis:  
 eidem tamen suffragante Angliæ Lega-  
 to, cujus opera Sedi suæ restitutus, varia  
 typorum genera pro edendo sectæ suæ  
 Catechismo ex Anglia Constantinopo-  
 lin transferri curabat; jam enim librum  
 de fide & doctrina Ecclesiæ Græcæ  
 composuerat, quem Carolo I. Angliæ  
 Regi nuncupatum ibidem typis edidit:  
 Re comperta Turcæ suam eidem typo-  
 graphiam evertabant, Hollandiæ au-  
 tem Orator fidei Confessionem sub no-  
 mine Cyrilli Genevæ juris publici fecit,  
 quam, utpote Calvinistarum doctrinæ  
 circa Eucharistiæ Sacramentum conso-  
 nam Mathæus Caryophilus confutabat,  
 edito libro, cui titulus: *Censura in con-  
 fessionem fidei, aut æquius perfidiæ Calvi-  
 nianæ,*

*nianæ, typis editam sub nomine Cyrilli Pa-* Sæc. XVII.  
*triarchæ Constantinopolitani anno 1633.* A. C. 1614.

Postea Cyrillus unacum articulis suæ confessionis a Bereensi Episcopo anathemate percussus, & a Meletio Syrigo Doctore, aliisque confutatus, ob Calvinihæresin a Græcis dire vexabatur. Arminiani igitur duntaxat de Cyrilli tanquam apostatæ patrocínio, non autem de Ecclesiæ Græcæ suffragio gloriari poterant.

§. XXXII.

*Achmetis Turcarum Imperatoris litteræ ad Mathiam Hungariæ Regem.*

Hic idem annus Domini millesimus *Petr. Reus*  
 sexcentus decimus quartus *de Monarch.*  
 ventuum diversitate, ac turbarum *Hung.*  
 titudine, si quis alius præcedentium, *cent. 7.*  
 non minus varius, quam funestus erat. *Merc. Gall.*  
 Præprimis vero belli flammam, quæ *tom. 10. l. 2.*  
 per pacem inter Christianos Principes, *Ortel. con-*  
 & Turcam Zitwatorockii initam in Hun- *tin. p. 48.*  
 garia paulo ante extincta videbatur,  
 Bethlenius Gabor rursus sufflare moliebatur; cum enim Cæsarei quædam  
 Transylvaniæ oppida prius inique erepta occuparent, Bethlenius confestim  
 Achmetem Turcarum Imperatorem hac de re certiolem reddebat, qui nulla  
 mora